



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXII.**

2. Martij. 6 Nonas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45295**



2. Martij. 6 Nonas.

Obijt  
circa  
annum  
1105.

Devotus in  
B. V.

à qua  
æger osculum  
accipit.

Ars bene orandi.

**B.** ANDREA: qui in Rivo-ficco Hispaniæ monasterio, cum religioso Cisterciensium vestimento sancti moniam induens, eandem multis virtutibus decorasti. Ex quibus non ultima fuit, fervens studium colendi sacratissimam Matrem Pietatis. Ejus enim Horarias preces non solam devotè in choro; sed extra eundem non minore diligentia repetere solebas, è singulis oculis sensum aliquem mysticum eliciens; quò magis in ejus amorem accendereris. Septemdecim annis in hac pietate peractis, morbus te lectulo affixit: ad quem accedens Consolatrix afflictorum, suo te osculo recreavit; & multa secreta, post mortem tuam eventura, aperuit: nec multò post horam à te prædictam, felicem animam secum ad cælos deduxit. *Artificium velut utilissimum, ita difficillimum est, Orare: quod homines magnæ sanctitatis conqueri solent. Cujus cum tu peritissimus fueris, jura me orantem, inflamma, & eleva cor meum, maximè cum Cæli Reginam his verbis alloquor: Ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in illa periculosa hora mortis nostræ.* **B.**

B. FRANCISCE à S. Maria Magdalena: qui susceptis in saculo sacris Ordinibus; ut te in requisita ad tam excelsum Officium puritate conservares, quàm fieri potest, integerrimum, laudatissimè Fulienfium familiè te adscripsisti: in qua tuæ te virtutes statim ad publicas curas vocavere. Nam Superioris Provincialis munere, per viginti quinque annos, tantâ prudentiâ functus es, ut nemini non jucundissimum esset, tuam intueri præsentiam, gravitate morum, & hilaritatem piam spirante modestiâ, decoram. Morbos à rigido vivendi modo contractos, etiam si peracuti essent, sinè ulla remissione consuetè austeritatis, quasi non sentiens, perferebas. Sacræ Scripturæ libros non nisi capite detecto legere, in officio divino primus comparere, negotijs quibuscunque occurrentibus, solebas: tamque insatiabilis in te fuerat orandi amor; ut semper majorem noctis partem, etiam gelidissima hieme, sibi preces vendicarent. Plura, saluberrimè imitanda, mihi in vita tua speculo proponuntur: nihil tamen est, quod à Deo per te mihi impetrari, magis exoptem, quàm tuam animi, semper in Deo quiescentis, tranquillitatem. Quæ veluti est efficax ad e<sup>9</sup> amorè, ita ad virtutes stimulus.

S. Ber-

Obijt  
anno  
1624Jucundus  
simul ac  
gravis  
morum  
decor.Grandi  
studium.Animi  
tran-  
quilli-  
tas.

*Suadeo vobis, amicis meis, reflectere  
interdum pedem à molesta, & anxia  
recordatione viarum vestrarum, &  
evadere in itinera planiora, sereni-  
oris memoriæ beneficiorum Dei: ut  
qui in vobis confundimini, ipsius in-  
vitu respiretis.*



3: Martij. 5. Nonas.

*Obijt  
anno  
1210.*

**B.** BONE, te, & nomine bone: qui postquam in Lycæo Tolosano scientiarum divinarum cursum, cum celebri eruditionis laude absolvisti; Theologiæ mysticæ deinceps operam daturus, magistros elegisti Cisterciensis Instituti, in monasterio Custodiæ DEI. In quorum disciplina ad eò profecisti: ut qui te discipulum susceperunt magistri, mox sibi cum summo imperio preesse voluerint. Maxima laus scholæ, ubi magisterio digni sunt, qui docent, & qui docentur. Hinc cum ultra tuum pedem ad ductum non egerent subditi, illud in Albigenses, velut canes, Ecclesiæ oblatrantes, strinxisti: quorum mul-

*Hereticos Al-*